



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXVII. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

An, & corripietur à superveniente iniquitate. Sap. 1. v. 4. Ideo tu studeas, semper Voluntatem DEI facere, ut cognoscas de Doctrina Christi, quòd non sit ab Humana ejus Natura excogitata, sed à DEO infusa, & revelata, & propterea omnis Fides & Obedientia ipsi debeatur.

PUNCT. III. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit Gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia (qualem mihi tanquam violatori Sabbati affingitis) in illo non est.* v. 18. Ecce, qui sibi, vel ingenio, aut talentis suis aliquid attribuit, ille non sincerè quærit Gloriam DEI. Qui autem hanc sincerè & unicè quærit, sicut Christus quæsit, ille ab omni fallacia, hypocrisi, & peccato immunis est. Sic ergo te ab his immunem redde.

MEDITATIO CCCXXXVII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 7. v. 19.

PUNCTUM I. *Nónne Moyses dedit vobis Legem: & nemo ex vobis facit Legem?* Hoc primum argumentum est, quo Christus Judæis, de violato Sabbato per sanationem Paralytici Joan. c. 5. se arguentibus, demonstrat, immeritò illos sibi indignari, & necem machinari; quia enim, inquit, nemo ex vobis facit Legem Moysis, *Quid me quæritis interficere*, tanquam Legis violatorem? Sic quia ipsi in multis offendimus omnes, & non est homo, qui non peccet; immeritò succensemus aliorum defectibus, immeritò in ijs supportandis sumus difficiles, & eos graviter reprehendi.

di, aut puniri optamus. Reflectamus potius oculos ad nos ipsos, & dispiciamus, quoties etiam nos ipsi Leges Divinas, humanas, vel Ordinis Regulas transgrediamur; & serium concipiamus propositum servandi deinceps omnes leges, sive sub gravi, sive sub levi, sive sub nullo peccato obligantes.

PUNCT. II. *Respondit turba, & dixit: demonium habes* (id est, tu loqueris, velut dæmonium habens, à quo ad insaniendum, vel calumniandum nos, impelleris) *Quis te querit interficere?* Falsò hoc negantibus (ut patet ex versu 25. ubi dicunt: *Nonne hic est, quem querunt interficere?*) alterum argumentum iniustæ erga se iræ, & odio Christus opposuit: *Et dixit eis: Unum Opus feci, & omnes miramini* (scilicet sanationem Paralytici die Sabbati) *Propterea* (subintelligitur sic contra vos argumentor) *Moses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, & in Sabbatho circumciditis hominem. Si Circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur Lex Moyse, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbatho, dans illi salutem totius corporis & animæ solo verbo; cum tamen Circumcisio non ita necessaria sit toti corpori, & longè majori labore peragatur?* Sic sæpe aliorum actiones carpimus, reprehendimus, contempnimus, averfamur, quæ longè magis excusari, & in bonam partem accipi possent, quàm nostræ actiones. Sic etiam ea, quæ rectè & laudabiliter gesta sunt, in malum vertimus, & interpretamur. Noli ergo imitari Judæos. Patere autem patienter, si idem tibi quod Christo, eveniat, ac rectè à te facta vel dicta perperam accipiantur.

PUNCT. III. *Nolite judicare secundum faciem:* (scilicet secundum personam)

justum Judicium judicate. v. 24. Omne enim Judicium, quod tantum est secundum faciem, seu externam quandam apparentiam, & quod non est secundum sufficientem evidentiam, in genere moris, quando est in præjudicium debitæ de Proximo existimationis & honoris, temerarium, adeoque injustum est. Itaque noli judicare secundum faciem; siue enim judicium verum, siue falsum sit, injustum est. Sed potius vel suspende tuum assensum, vel bene de Proximo sentias, & in bonam partem ejus actiones trahas, ut justum judicium judices. Ausculta S. Bernardo Serm. 40. in Cant. dicenti: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius index. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic judices Proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnino dissimulationem rei ærtitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud te ipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*

MEDITATIO CCCXXXVIII.

Judæi frustra Christum student comprehendere Joan. 7. v. 32.

PUNCTUM I. *Miserunt Principes & Pharisei Ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis JESVS: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me (scilicet ad Patrem Cælestem per mortem, post sex menses mihi inferendam; totidem enim mensibus à Festo Tabernaculorum, quod Septembri per*

S

octo